DE DIABETE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RUDOLPHUS SEYFRIED
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

R. LEHMANN, MED. ET CHIR. DD.
A. KESSLER, MED. ET CHIR. CAND.
H. DEEGEN, UTRIUSQUE JUR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO

MAXIME DE SE MERITO

LUDOVICO LICHT,

REGI A COMMISSIONIBUS JUSTITIAE,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

IN SUMMAE AMICITIAE TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Tirones in arte nostra saluberrima male sibi consulere arbitror, qui, scribere jussi, se sententias novas atque inauditas proferre debere censeant, quae mundum illustrent et singularem contestentur doctrinam. Ars longa, vita brevis! et cum illud breve tempus, quod in universitate peragimus, vix sufficiat medicinae studioso ad cognoscenda omnia illa, quae ante nos inveniebantur, et vertenda in succum et sanguinem, quis est tiro, qui theorias inveniat novas atque commodas, quippe quas e libris tantum haurire possit, cum ad contemplandam naturam ipsam nec occasio neque tempus ei detur? Quare optimum esse reor, probare tironem, se a clarissimis et benevolentissimis praeceptoribus tra-

dita praecepta bene perspexisse seque ea in usum commodum vertere posse. Quum autem *de Diabete* scribere statuissem, vires meas ad id perficiendum maxime esse infirmas atque debiles, probe intellexi, et tantum abest, ut laudem ex his pagellis mihi esse redundaturam sperem, ut potius veniam indulgentiamque virorum doctorum implorem eosque orem, ut his studiorum meorum primitiis animo benigno indulgeant.

HISTORIA.

Nomen Diabetae a graeco verbo *διαβαίνω*, (ich gehe hindurch, celer transitus rei alicujus) derivandum est. Varia sunt alia nomina jam ex vetustissimis temporibus huic morbo impertita: *Ὕδρωψ εἰς ἄμιδα, διαῤῥοῖα εἰς οὖρα,* Hydrops ad matulam, Tabes ad matulam, Tabes diuretica, Tabes urinalis, Diarrhoea urinalis, Profluvium urinae, Phthisuria, Dipsacus, Polyuresis, Harnruhr.

Diabetes est morbus, qui cernitur in adaucta urinae missione. Jam medicis veterrimis diabetes cognitus erat. Attamen valde ambiguum manet, utrum jam Hippocrates diabeten noverit, nam verba ejus de hoc facta eodem jure ad aliud quoddam urinae secretionis malum referri possunt. Celsus diabeten nominat morbum, in quo permagna urinae copia secernatur, simul cum tabe conjunctum, dicit: „At cum urina super potionum modum, etiam sine dolore profluens, maciem et periculum facit, si tenuis etc.". Item Galenus, Aretaeus, Trallianus, Demetrius Apamaeus, qui primus mor-

bum diabeten nuncupavit. Multi alii prioris aetatis medici de diabete retulerunt, minime vero saccharinam urinae naturam cognoverunt. Thomas Willis principium saccharinum primus detexit eoque modo effecit, ut morbus majore cum studio perquireretur, et etiam chemici operam ei impenderent.

Multam in meliori diabetae cognitione laudem sibi comparaverunt: Dobson, Cullen, Home, Marabello, Rollo, Knebel, P. Frank, Haase, de Stosch, Bernd.

SYMPTOMATA.

Symptomatum, quae diabeten verum s. mellitum comitantur, omnium gravissimum esse secretionem urinae saccharinae constat; pluribus vero aliis symptomatibus indicatur, quae tamen non semper eadem sunt, partim quia in singularibus tantum casibus reperiuntur, partim quia casu magis quam propria morbi indole excitantur, itaque ad cognoscendum diabeten non pathognomonica esse videntur.

Morbum plerumque jam in provecto stadio observare possumus, quia in prioribus stadiis medici auxilium raro exigitur. Attamen prodromos, qui morbum jam imminentem indicant, cognoscimus. Aegroti moesti morosique cum animi affectu hypochondriaco vel hysterico languorem et lassitudinem queruntur; pyrosis, ructus, vomituriones, quin

vomitus ipse accedunt, dyspnoea atque brevis tussis spastica urgent. Interdum, ut Reil affirmat, exanthemata scrophulosa, vel tumores glandularum lymphaticarum morbum antecedunt. Cum his phaenomenis accedit raucedo et siccitas oris fauciumque, ita ut sitis valde augeatur, quae nocturno praecipue tempore aegrotis somnum aufert. Cutis, quod omnes scriptores dicunt et equidem ipse vidi, arida, squamosa, porrigine saepe obtecta est, humorem nullum edit, et pergamenam fere speciem prae se fert. Interdum vero, etsi rarissime, talem se praebet, qualis est hominis sani. Latham cutis et pulmonum exhalationem in quibusdam individuis foeni odorem habere contendit.

Lingua alba, circa margines sicca splendensque, gingivae rubrae tumidaeque sunt, dentes hebetes et labefacti haud raro ex alveolis elabuntur. Vox rauca et aspera voci clangosae, quae in acutis morbis nominatur, similis; saepe vox attenuata vix auditur. Ciborum appetitus justo major est, itaque fames ad bulimum increscens constanter observatur; attamen quamquam immensa alimentorum copia aegrotis praebetur, tamen maciem vel tabem totius corporis videmus cum magna virium consumptione; nominatim extremitates inferiores primum debilitantur, quare ad cubile aegroti confugere solent.

Interdum aegroti queruntur dolores spasticos

regionis lumbalis, sensum frigoris a renibus usque ad vesicam urinariam descendentis. Aliud symptoma, quod plerumque observatur, tumor, inflammatio et excoriatio praeputii et glandis penis, dolor circa orificium urethrae, minus ab aliena urinae natura, quam ex continua diuresi pendere videtur, ita ut, quum mucus ab interna urethrae et praeputii membrana secretus non sufficiat ad involvendam urinae acrimoniam, partes quoque, quae urina alluuntur, irritatae denique inflammentur.

Cupido coeundi plerumque primis jamjam diebus exstinguitur (P. Frank, Wolff, Horn, Berndt, Hertzog). Accedit penis ac testiculorum atrophia. Exoneratio alvi aliis in casibus alia est, plerumque autem debita, ac si aliter se habet, obstructionem saepius invenimus. Omnes secretiones igitur, ut vidimus, praeter urinae profluvium valde diminutae sunt. Nunc ad gravissimum hujus morbi momentum ad signum pathognomonicum venimus, ad descriptionem urinae secretionis, quod attinet ad quantitatem et qualitatem.

1. *De quantitate urinae.* Permagna est urinae secretae quantitas; omnes vero auctores uno tamquam ore tradiderunt, secretionem urinae nocte largiorem esse, quam interdiu. Aegrotos quotidie libras triginta, quadraginta, imo etiam quinquaginta mingere, constat. Fonseca secretionem copiae

incredibilis librarum centum et octo per horas viginti quatuor sese observasse perhibet. **Morgagni** quoque observavit aegrotam, quae quotidie quadraginta duas et per nonaginta tres dies, tam diu enim morbo laborabat, ter mille sexcentas et septuaginta quatuor libras urinae mingebat. In casibus a me in nosocomio Caritatis observatis, puellam diabete mellito laborantem per viginti quatuor horas circa libras decem ad duodecim, alium aegrotum octo ad decem minxisse comperi. Gravis est momenti inquirere, qualem rationem inter se alant copia alimentorum et urinae editae. Plurimi contendunt, urinae secretionem saepissime modum ita excedere, ut, copia alimentorum et potuum assumptorum longe superata, brevi tempore plus, quam totius corporis sit pondus, aegroti mingant. In plurimis casibus pondus urinae missae potus ac cibi assumpti copiae fere respondet, ita ut aegroti plerumque septenas ad octonas mensuras quotidie mingant. Saepe vero, ut jam antea diximus, urinae missae copia uberior est. Haec quantitas major a variis medicis varie explicatur fortasse aut alia fluida ex organismo ipso in urinam, aut absorptione cutis et pulmonum aucta in organismum transferuntur (J. L. **Bardsley**). Antea dictam rationem inter alimenta et copiam urinae multi observarunt: **Fothergill** 3 : 4. P. **Frank** 3 : 5. **Puchelt** 9 : 21. **Christison** 1 : 5.

Fieri vero posse, ut aegroti minus, quam ingesserint, mingant, Rollo docet, confirmat Krueger-Hansen.

2. *De qualitate urinae.* Ut jam supra retulimus, Th. Willis primus medicorum animum ad urinam perscrutandum advertit atque principium saccharinum detexit. Analysis chemica saepius a chemicis repetita, quamvis chemici valde inter se differunt, id quod partim ex diversis morbi stadiis, in quibus examinata est urina, partim ex vario morbi ambitu, partim ex ratione scrutandi pendet, tamen id confirmat, talem urinam pro urea imminuta continere aut albumen aut saccharum, quam ob rem Schoenlein duo stadia distinguit: „In primo, ait, stadio morbi non saccharinam sed albuminosam reddi materiam, qua de causa diabetes mellitus in hoc stadio insipido similis sit; in secundo demum stadio albuminoso principio evanescente, saccharinum praevalere." Chemici diu illud saccharum peculiarem habuerunt speciem, donec Prout eandem compositionem chemicam ac sacchari uvarum esse docuit. Quum praeparatio sacchari ex urina difficilior sit, quam quae hoc loco explicari possit, illas tantum methodos afferre sufficiat, quibus facillime in urina saccharum cognoscitur. Urina enim talis, fermento quodam addito, si eam calori exponis, fermentationem subit. Facilior et certior Rungii est metho-

dus: Guttulis aliquot urinae suspectae supra aquam ferventem in patella evaporatae guttulas nonnullas acidi sulphurici diluti addit; tum macula apparet nigra, si urina saccharum continet, rubra, si non continet. Tanta interdum copia sacchari urinae inest, ut ex libra urinae una sacchari drachma parari possit. Quo magis saccharum crescit, eo magis urea decrescit tandemque fere evanescit. Multi quidem sunt, qui omnem ureae absentiam negent, sed sine dubio urinam diurnam semper cum urina nocturna miscuerunt, quum constet inter omnes, urinam noctu missam saepe omni urea carere, saccharo abundare; diurnam autem uream continere. Quae res cum exacerbatione et remissione morborum acutorum cohaerere videtur. Medici inter diabeten mellitum et insipidum discernunt. In diabete insipido urina, cujus major quidem copia mittitur, tamen saccharum non continet, sed osmazomati similem materiam. P. Frank diabeten decipientem illum morbum vocat, in quo urina, quamvis nec quantitate nec colore sit mutata, tamen aut albumine aut saccharo abundat. Saepe in diabete intervalla occurrunt, in quibus urina nihil insoliti praebet. Wittstock in urina mellita acidum urobenzoicum se invenisse affirmat, quod si experientia confirmatur, homines diabete aegrotantes animalibus herbivoris similiores evadere, contenderc licet,

praesertim cum dentes animalibus carnivoris proprii saepe elabantur.

Diu medici negarunt, sanguini saccharum inesse apud aegrotos diabeticos, ut Wollaston, Vauquelin, Berzelius, Prout, Henry, sed recentiore tempore Ambrosiani, M'Gregor, Maitland, Rees, Bouchardat experimentis satis argumentati sunt, sanguinem diabete jam provecto saccharum continere, nec minus centendunt, copiam sacchari in sanguine post coenam esse uberrimam, tempore matutino vero, quum per noctem renibus excernatur, omnino desiderari. In sanguine decima octava pars est sacchari, ac in urina. Quod ad colorem, urina modo pallida, modo viridiflavescens, modo limpida, modo turbida, sero lactis similis est. Sapor variat, dulcis aut fatuus. Subdulcem edit odorem, tenuis jusculi carnis vitulinae instar; in vasis asservata urina non tam celeriter, quam statu sano odorem foetidum spargit. Urina facile in fermentationem vinosam et acidam transit. Pondus specificum majus quam corpore sano urina praebet, quia copia substantiarum solidarum valde aucta est (Joh. Mueller). Pondus specificum urinae diabeticae est 1,030 — 1,045, urinae normalis 1,020 — 1,025. In urina sana per horas viginti quatuor uncia tantum una et dimidia partium solidarum inveniuntur, in urina mellita vero unciae

viginti ad triginta sex per diem emittuntur. In casibus raris, praecipue initio morbi, pondus specificum urinae diabeticae non majus, imo multo minus est.

VARIETATES.

Multi medici, et veteriores et recentiores, varias diabetae species distinguunt. Saepenumero diabeten in verum et spurium divisum legimus, quae differentia nulla est, quippe diabetes spurius minime sit diabetes, quia excepta urinae majore copia omnibus symptomatibus, quae huic morbo propria sunt enumerata, destituitur. Cum in stadio critico febrium inflammatoriarum, in hydrope, hypochondria, hysteria aegroti justo plus mingunt, diabetes spurius nominatur.

Alia divisio praesertim a medicis recentioribus est confirmata:

1. *Diabetes mellitus* vocatur, in quo, ut jam diximus, urina ciborum potuumque copiam superat et permagnam saccharinae materiae copiam continet. (Th. Willis, Burserius).

2. *Diabetes insipidus,* qui urina saccharina carens mellito similis est quod ad cetera symptomata. Ceterum vero fit, ut alter alterum excipiat (Krukenberg).

3. *Diabetes decipiens* nominatur, ubi quantitas

urinae normalis, sed qualitas mellitae urinae inveniatur (P. Frank, Knebel).

Diabeten plerumque alia mala comitantur, obstructiones hepatis, lienis et viscerum, status atrabiliaris, haemorrhoidalis, oedema pedum, hydrops anasarca, febris hectica, intermittens, catarrhus et phthisis pulmonum, marasmus. Etiam cataractae sunt observatae, quas ipse in puella septendecim annorum diabete aegrotante in nosocomio Caritatis vidi.

Quod ad formam alii diabeten affectionem esse asthenicam (Dreysig, Sprengel, Creuzwieser), alii fere semper sthenicam esse dicunt (Watt).

DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Omnes fere medici uno tamquam ore consentiunt, decursum esse chronicum, saepe per aliquot annos produci morbum. Breviorem decursum observarunt Dobson et Rollo; interdum typum intermittentem exhibet diabetes, etenim fit, ut per breve vel longum tempus symptomata cedant, at postea majore cum impetu reversa aegrotum brevi tempore exstinguant. Per aestivum tempus aegroti saepenumero parcius mingunt, sed constitutione aëris humida atque frigida, autumno morbus recrudescit. Brevior est decursus apud aegrotos pulmonum tuberculosi laborantes. Hufeland enarrat ca-

sum, quo femina quaedam inter graviditatem diabete laboravit, qui post partum remittebatur.

Quod ad exitum pertinet, sanatio morbi fere nunquam observatur, vel in iis casibus, in quibus medici morbum perperam diabeten mellitum putaverunt. Nam semper diabeten lethiferum habere exitum omnes consentiunt. Fieri potest exitus apud complicationes cum phthisi pulmonum, cum Hydrope et cum febri hectica, vel inanitione, marasmo. Haud raro aegroti post excessum in coena defuncti sunt (Prout). Etiam apoplexia observata est (Prout, Neumann). Ipse in casu antea allato hunc exitum vidi.

SECTIONES CADAVERUM.

Pathologiae morbi nostri pars diligentissime disquisita, at in cadaveribus hominum diabete mellito mortuorum plerumque nihil inventum est, ex quo causam proximam certe dijudicare possimus. Praecipue perspecta est anatomia renum, structura, forma et colore mutatorum. Renes cernebantur languidi, laxi (Morgagni), porosi, purulenti (Baillie), vasis quasi infarcti, saepius vero nulla in renibus vitii alicujus organici vestigia apparebant. Ureteres valde erant contorti et distenti atque intestini instar dilatati (Warren). Saepe vero vasa in renibus succenturiatis ita esse expansa, ut digi-

tum in ea immittere possis, Nasse contendit, quod vero Mueller etiam in renibus succenturiatis hominum alio morbo mortuorum conspexit. Vesica urinaria crassiores habet membranas, condensatas, callosas. Camerarius illam in massam carni similem commutatam ejusque substantiam fibroso-glanduloso-scirrhosam describit. Vena portae multo sanguine liquido impleta saepe obliterata est. Ventriculum esse dilatatum affirmant Berndt, de Stosch. Pancreatis calculis impleti mentionem facit Cowley. In hepate Mead semper invenit steatomatosi aliquid. Bilis in casu quodam fuit acida auctore de Stosch, qui etiam in vesicula fellea mortui cujusdam calculum reperit.

Intestina tenuia, imo etiam crassa, magnam contentorum liquidorum copiam coloris viridis habent, quae mirifice acidum redolent (de Stosch, Rutherford, alii); glandulas mesaraicas majores et induratas vidit Home. Marshall sanguinem in humorem socolatae similem mutatum, odore acido, dulciusculo praeditum, et in vena subclavia sinistra succum lacteum a sanguine segregatum invenit. Saepissime accidit, ut in pulmonibus vomicae adsint.

Cerebrum rarius exploratum est. Horn sub dura matre cerebrum collapsum nimis durum reperiebat. De Stosch de hydrope arachnoideae refert, cujus serum spatium inter cerebrum et arach-

noideam expleverat. Medullam spinalem Venables inter vertebram XII dorsi et I lumborum emollitam invenit, duritie inaequali. Duncan nervum sympathicum et nervos splanchnicos debito crassiores invenit.

AETIOLOGIA.

Physiologorum, chemicorum, pathologorum celeberrimorum conatus, causam proximam seu diabetae naturam indagandi, hucusque frustanei fuerunt; diversissimis quidem et inter se contrariis hypothesibus de morbo haud caremus. Galenus, cujus sententiam A. ab Tralles, Oribasius et alii sequuntur, renes ob intemperiem calidam majore sanguinis copia impleri atque ea ex re diabeten originem trahere putavit. Aretaeus renes acie biliosa, Paracelsus sale angulato irritatos ansam dare morbo contendunt. Boerhaave in sanguinis resolutione et laxitate renum, Lobb in laxitate ureterum, Stoll in laxitate viarum ab intestinis ad renes pergentium causam posuerunt. Has omnes sententias rejici physiologia et anatomia jubent et sectiones, quae saepenumero nullam ob oculos ponunt renum mutationem; accedit, quod ex renum laxitate urinae copiam, minime vero sacchari diabetici originem explicare possumus.

Alii medici in sanguinis vitio causam collo-

cavere proximam. Sydenham sanguinem tam crassum esse arbitratur, ut liquores tenues non assimilati per renes ejiciantur. Th. Willis a colliquatione sanguinis salibus acidis effecta originem morbi ducit. Similes sententias profitentur Brendel, Borsieri atque Gaub. Zister et alii causam diabetae cerni putant in ventriculo tenuique intestino propter sitim et ardorem, qui sentitur in intestinis. Cullen, Selle et Dobson morbum perturbatione chylificationis oriri docent. Charles Darwin in vasorum lymphaticorum motu quasi antiperistaltico, Tommasini in actione omnium vasorum lymphaticorum incitamento quodam aucta, Morgagni autem in eo causam posuit proximam, quod liquor in renibus secretus propter obstructionem glandularum lymphaticarum non resorbeatur ideoque per ductus uriniferos auferatur. P. Frank novam theoriam protulit, dicens, sicut in rabie canina venenum quoddam hydrophobiam proferat, ita in diabete venenum animale, causis concurrentibus aptis, oriri, quod per nervos in systema lymphaticum agat, tumque resorptum ad cavum ventriculi vehatur, qui hoc modo corruptus, officiis suis providere non amplius possit. Rollo dicit: „Cernitur in actionibus anomalis, quibus succus gastricus augetur, quo facto materia saccharina e substantiis vegetabilibus extracta, per renes secer-

nitur. Copiam urinae affectione renum consensuali adaugeri censet." Stosch, qui systema nervosum automaticum duas in partes dividit, quarum unam, quae arteriarum est, positivam nominat, alteram, quae est venarum, negativam, hujus negativi factoris, qui Chylificationi provideat, paralysin, itaque venosae resorptionis, quam vasa lymphatica suscipiant, debilitatem pro causa habendam et diabeten talem esse nervosum, arbitratur. Mead hepate steatomatoso vitiosaque bilis mixtione diabeten effici persuasum habuit atque censuit, cum homines, qui vino multum indulgeant, saepe hoc morbo corripiantur, liquores in corpore accumulatos per naturam bilis cum oleosis bilis partibus non accurate conjunctos continuo ad renes perfluere atque ductibus uriniferis expansis urinae ex sanguine secretionem augeri.

Creuzwieser, qui diabeten spasticum et torpidum discernit, alterum ab irritatione renum perauctа, alterum ab eorum relaxatione pendere contendit. Trnka de Krzowitz renum incitamentum quoddam vasaque relaxata fluxus diabetici causam praebere, opinatur. Brown diabeten esse morbum asthenicum dicit, quo totum corpus labefactum sit, eo autem discrimine, ut asthenica praesertim in systemate urinali se ostendit. Kausch spasmum cutis permanentem adesse, quo humores aquosi retinean-

tur, propter consensum ad renes ferantur ibique excernantur, contendit.

Kaempf chylosin imperfectam ob dyspepsiam, sordes primarum viarum, vermes, saepius ob glandularum mesaraicarum obstructionem crebro latentem accusat. Haase dicit: „Primum momentum ad efficiendum diabeten hyperoxydatio est succi gastrici et enterici, plerumque ex retentionibus secreti hepatis orta, quae si secundum naturam se habuit, succo gastrico partem oxygenii adimunt, cum vero sunt contra naturam, hyperoxygenatum eum reddunt, quo facto tanquam potentia nocens dynamica eam vim exercet, ut resorptionem in organis digestionis et in cute incitet, simulque renes offendit, quorum secretionem ob acidam naturam magnopere auget. Hucusque est morbus mere dynamicus atque saccharo nondum praevalente limes constituitur. Diabeten insipidum inter et mellitum, morbo autem sensim sensimque procedente, principium chemicum invalescit, ut morbus fiat chemico-dynamicus; materia enim saccharina ex victu vegetabili eodem fere modo educitur, quo ex amylo chemici parant saccharum et per urinam excernitur." Berndt profert: „Semper diabetes oritur ab affectione organorum digestionis, imprimis ventriculi, imo et in decursu morbi alienatio ventriculi saepissime invenitur."

Nunc ad recentiorem sententiam transeamus.

Constat inter omnes, digestionem et hepatis secretionem, ut omnes secretiones, a nervorum functione pendere. Notum est deinde, nervum vagum esse nervum sensitivum pro membrana mucosa pulmonum, pro ventriculo et hepate et magnum exserere momentum in circulationem sanguinis per haec organa. Constat etiam, nervum sympathicum praeesse secretionibus et vitae, ut ita dicam, vegetativae horum organorum, quam vim a conjunctione cum medulla spinali repetit. Atque haud omnino negari potest, sympathiam quandam inter utrumque nervum et medullam spinalem adesse, ita ut medulla aegrota vim aliquam exserat in efficacitatem nervi sympathici. Si igitur in diabete non solum chemismum digestionis, sed etiam hepatis mutatum invenimus, contendere possumus, nervi sympathici functionem esse mutatam; si deinde sectione cadaverum medullam spinalem diuturna congestione vexatam invenimus, jure affirmare licet, medullam spinalem primum fuisse organum aegrotum, qua ex re mutatio functionis nervi sympathici et societas nervi vagi prodibat. Quod vero fuerit malum medullae, certe hucusque dicere non possumus. Itaque diabeten morbum definiamus, qui agit radices in medulla spinali, quare functio vegetativa nervi sympathici et nervi vagi abnormis digestionis et hepatis mutatae functioni abnormi ansam praebet, ita ut saccharum formatum non in bilem

commutetur, sed corpori substantia inutilis per renes emittatur (Scharlau).

Animum advertamus ad causas praedisponentes et occasionales:

Dispositionem hereditariam se observasse contendunt Roudelet, Frank, Blumenbach, Brisbane, Brandis, Prout, Clarke, Storer. Quod ad aetatem, medici rarissime aetate infantili, frequentissime aetate media ab anno vigesimo quinto ad quadragesimum diabeten se deprehendisse affirmant. In infantibus observarunt eum Johnson, Rollo, Venables, Horn; in senibus P. Frank, Berndt. Num apud viros aut feminas crebrior sit morbus, valde dissident medici. Alii auctores, ut P. Frank, Schoenlein, diabeten in feminis aut raro aut nunquam invenerunt, alii contra etiam feminas maxime post cessationem mensium eo laborare observarunt, quod et ego ipse confirmare possum. Diabetes in humidis terris frequentius apparet quam in siccis: in Aegypto propter Nili inundationes (Maimonides); in Anglia, in superiori Italia, in India orientali (Hunter), Torpor sexualium organorum et renum, qui deducendus est ab excessu in Venere, a manstuprationibus et aliis libidinibus, etiam ad diabeten homines pronos reddit.

Quod causas occasionales attinet, sunt irritamenta vel directa vel indirecta. Directa: Abusus potuum spirituosorum, acidorum et acido abundan-

tium, cerevisiae imprimis albae, vini Rhenani. Praeterea abusus diureticorum acrium, neque minus morbi organici cerebri, medullae spinalis et nervorum, renum etc., febres intermittentes (Sydenham). Indirecta: Perfrigerium, suppressiones subitae transpirationis cutis, animi affectus deprimentes.

DIAGNOSIS.

Symptomata diabetae melliti, quae supra exposui, tam perspicua et manifesta sunt, ut vix cum alio morbo confundi diabetes possit. Attamen sunt nonnulli morbi et tales quidem, de quibus lis est inter medicos, utrum ad speciem diabetae pertineant, nec ne, an omnino nulli sint, quos hoc loco enumerare non alienum mihi videtur.

1. *Diabeten decipientem* quod attinet fere nunquam nos ad errorem seducet.

2. *Diabetes insipidus* morbus rarior est et antea jam descriptus.

3. *Enuresis.* Hoc in morbo aegrotans multum quidem mingit, sed nec saccharum diabeticum in urina neque albumen, nec cetera symptomata adsunt.

4. *Hyperdiuresis.* In hysteria, spasmis, hypochondria, rheumatismo, in crisibus multarum febrium et hydropum, occurrit aut si diureticis urinae copia aucta est, omnia alia diabetae desunt signa.

5. *Lienteriam urinalem*, qua homines potum, quem hauserunt, minime mutatum mingunt, multi quidem viri afferunt, ut Lacutus, Trincavella et alii; attamen ex novis observationibus recte mihi videtur dubitandum, an revera lienteria urinalis existere possit.

6. *Dipsacus* non est morbus proprius, sed symptoma tantum aliorum morborum, febrium inflammatoriarum, inflammationum partium internarum, hydropis etc. quare facile cognosci potest.

7. *Coeliaca urinalis* s. *Chyluria* s. *mictus pultaceus*, num revera existat, in suspenso relinquendum videtur. Dicitur enim hoc in morbo chylus immutatus statim post digestionem per renes excerni; Boerhaave, Hoffmann, Etmueller, Borsieri hoc se vidisse contendunt. Attamen nostro tempore hanc rem esse confirmatam non audivi.

PROGNOSIS.

Quamquam valde dolendum est, tamen non possumus, quin prognosin aegrotis pessimam auguremur in diabete, quippe qui morbus, totam artem medicam maximamque medicorum diligentiam eludens, raro miseris spem salutis relinquat, sed fere semper morti eos tradat. Currie et Cullen nunquam, P. Frank bis morbum sanarunt, praeterea Rollo,

Ritter, Wolff cum successu tractarunt nonnunquam diabeten et Berndt ante breve tempus duos aegrotos in integrum restituit. Metienda est prognosis ex quantitate et qualitate urinae, ex portione praesertim saccharina; omnibus enim notum est, quo plus mingat aegrotus et quo plus sacchari in urina inveniatur, eo pejorem esse prognosin. Majore periculo juvenilis, quae in periodo pubertatis versatur, summo infantilis aetas premitur et senilis. Si diabetes originem ducit ex decrepiditate organorum uropoeticorum et genitalium, ex onania, excessu in Venere et Baccho, mors inevitabilis imminet. Praeterea interest, utrum jam phthisis pulmonum et febris hectica accesserint, nec ne; quas si invenimus, nihil superest, quam ut desperemus de aegroti salute.

CURATIO.

Sicut in aliis morbis, de quorum causa proxima medici dissentiunt, medicamenta ex omnibus materiae medicae classibus desumpta in usum vocari solent, ita in diabete mellito nullum fere medicamen, quod non tentaverint, reliquerunt medici. Omnia igitur remedia hoc in libello enumerare, quae ad diabeten curandum in usum vocata sint, impossibile est neque desiderari posse mihi videtur. Talia remedia afferre mihi liceat, quae utilitatem quandam,

quamquam exilem nec constantem, praebuerint. Inter omnia Creosotum valde celebratum est. Primus adhibuit Berndt, qui etiam effectum quendam vidit, sed una cum aliis remediis praescripsit. Creosoti gtt. XXV ad XL quotidie cum saccharo, Gi arabico pilularum forma, vel cum remediis gravioribus, Opio, Cupro sulphurico-ammoniato, Morphio acetico conjunctas dedit. Non solum processum fermentationis reprimere, sed etiam urinae secretionem minuere videtur; sed ad saccharinam materiam delendam nihil, ad sitim temperandam permagnam paululum profuit, quod etiam Cel. Wolff confirmat, qui medicamen in Nosocomio Caritatis saepe adhibuit.

Cuprum sulphurico-ammoniatum primus commendavit P. Frank. Quod remedium effectum specificum habere in nervum vagum, minime negandum est, id quod ex aliis morbis certe scimus. P. Frank una cum Asa foetida, Extr. Myrrhae aquoso et Valeriana feliciter dedit aegrotis; etiam Berndt remedio hoc usus est cum eventu, quum ad vim nervorum ventriculi mutandam et ad saccharum delendum aliquid valere videatur.

Hydrargyro chlorato miti propter malam hepatis secretionem etiam usi sunt medici. Sedes manebant canae, non fiebant virides, itaque nullum habuit effectum in excretionem bilis; alii effectus remedii non observabantur. Ferrum jodatum Combette

et Scharlau adhibuerunt. Aegroti robustiores fieri videbantur, copia sacchari minuebatur, sed diarrhoea biliosa vehementi intrante remedium reponendum erat. In curam radicalem nullum habuit effectum. Oleum jecoris paululum ad restaurandas aegrotantium vires profuit.

Bilis bovina, quam Hufeland et Weitsch laudant, secundum experimenta a Scharlau facta nullam habuit utilitatem notabilem. Rollo, quem sequebantur Hufeland, Lippert, de Stosch etc. sulphuris praeparata praebuit, praecipue Liq. Ammoniac. Sulphur. Dedit Liq. gtt. quatuor ad duodecim pro dosi et per se et una cum Opio et Antimonialibus. Fames, secretio urinae minui et mixtio sana restitui dicitur, sed magna cum providentia remedium adhibendum est. Sin alvi obstructiones exstant, Aloen aegroto dedit, saponem aut Ol. Ricini. Schoenlein initio morbi utitur Narcoticis, quorum maxime laudat Opium forma Tinct. Thebaicae, usque ad drachmas duas per diem porrectae, dein ut turgor vitalis in integrum restituatur, balnea et Pulv. Doweri commendat. Si secretiones ceterorum organorum revocatae sunt, ad usum adstringentium transire atque imprimis Tinct. Canthaim adhibere licet. Ardorem oesophagi intestinorumque per Nuc. vomicam, Kali et Natron carbonicum aut Emeticum Schoenlein removere

studet. Alii laudant Emetica ad minuendam sitim et deprimendum Erethismum nervi vagi et sympathici, sed effectus per paucos tantum dies observatur. Alumen, aqua calcis, Kino, Catechu, China, Myrrha, cort. Simarubrae, ferrum sulphuricum, Acid. phosphoricum saepe sine effectu adhibebantur.

Medici, qui inflammationem renum esse causam diabetae credunt, venaesectiones commendant. Inter omnes maximam in illis vim posuit ab iisque solis salutem petiit Watt, qui eo processit, ut aegroto cuidam inter quatuordecim dies sanguinis ℥cviij detraheret, quo modo, uti dicit, sanationem obtinuit. Alii adhibent etiam hanc medendi rationem, ut Le Fevre, Satterley, Hufeland, Marsh, Prout. Derivationes aliae per hirudines et cucurbitulas valde sunt laudatae. Rollo primus celebravit usum alimentorum tantummodo animalium, quem omnes fere medici hac in diaeta secuti sunt, ut Dupuytren, Baillie, Bardsley, Bouchardat. Aegrotus utatur carne pingui, praecipue porcina, piscibus, ostreis, ovis mollibus, caseo pingui et vetere, bibat lac. Alii medici praeter hanc diaetam praebent aegrotis vegetabilia quaedam; Barlow laudat plantas cruciferas; Babington olera recentia. Ut turgor vitalis restituatur, vaporationes, balnea tepida et frigida nominantur (Grainger, Michelotti), deinde frictiones siccae vel oleosae. Interne Pulv. Doweri,

Camphoram et Ammonii praeparata adhiberi suadent multi. Thermae Carolinae nostris temporibus in diabete magnam sibi pepererunt celebritatem, praecipue si diabetes oritur una cum plethora abdominali et cum obstructionibus (Wittowsky, Mueller, Hochberger). Diabete laborantem, quamquam melior adsit status, semper invalidum manere, Prout summo adnotat jure.

VITA.

Carolus Franciscus Fridericus Rudolphus Seyfried, evangelicae addictus confessioni, natus sum Glatzii, Silesiae arce, die IX. m. Aprilis anno h. s. XXIV patre Francisco Seyfried, in legione XXXVIII centurione, quem praematura morte mihi abreptum lugeo, matre Henrica e gente Jantky, quam adhuc vivam et salvam veneror. Primis litterarum elementis in patria urbe et Berolini imbutus decem annorum puer Moguntiam me contuli ibique Gymnasium, quod tunc directore Beat. Reuter floruit, adii. Anno h. s. XXXIX Berolinum reversus Gymnasium regium Joachimicum, quod Cel. Meineke floret, frequentavi. Cursu scholastico absoluto, maturitatis testimonio instructus mense Aprili anni MDCCCXLV inter cives academiae medico-chirurgicae militaris et mense Octobri inter alumnos instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium interfui Virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum scholis:

Cel. Werder de logice et psychologia; Cel. Preufs de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia medica, de pathologia generali, de Celsi libris, de medicinae historia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Link de botanice, historia naturali, de cryptogamis; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Dove de physice; Ill. Mitscherlich sen. de chemia organica et anorganica; Ill. Weifs de mineralogia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia,

de anatomia organorum sensuum; Ill. Mueller de anatomia universa, de physiologia, anatomia comparata et pathologica; Exp. Bruecke de histologia microscopica; in arte rite cadavera secandi Ill. Schlemm et Ill. Mueller mihi fuere duces. Praeterea disserentes audivi: Beat. Eck de therapia generali et de semiotice, de physiologia, de morbis contagiosis, dissimulatis et simulatis; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica, de excitantibus; Beat. Horn de morbis syphiliticis, de morbis psychicis; Ill. Schoenlein et Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi; Ill. Schmidt de arte obstetricia; Cel. Troschel de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis; Cel. Boehm de akiurgia, de morbis oculorum et de operationibus ophthalmiatricis.

Exercitationibus clinicis chirurgicis, medicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, syphiliticis interfui Virorum Illustrissimorum Langenbeck, Angelstein, Juengken, Schoenlein, Wolff, Schmidt, Boehm, Simon.

Omnibus his viris honoratissimis, quam possum maximas ago gratias, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis summi qui sunt in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Mercurius in curandis morbis syphiliticis majorem habet effectum quam jodum.
2. Docimasia pulmonum non certo infantem editum vixisse, probat.
3. Arsenicum in curandis intermittentibus non rejiciendum.
4. Venena non agunt in corpus humanum nisi resorptione.